



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Decretvm XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DECRETUM XXIII.

ET, ne quemquam vestrum Declaratio Cardinalium super interpretatione Bullæ Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, quam hoc anno ex Urbe Roma percepimus, latere possit; eandem simili modo promulgamus, ac ab omnibus, quorum interest, observari mandamus; ut sequitur.

EMINENTISSIMI ET R^{MI} DOMINI,
D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Ratisbonensis, devotus Eminentiārum Vestrarum Orator, in Synodo diececsana Ratisbonensi pro felici gregis, curae suæ commissi, gubernio, inter diversas alias Constitutiones Apostolicas, Bullam fel. record. GREGORII XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, publicari fecit. Cum autem ab aliquibus asseratur, Intentionem Conditoris fuisse, ut obligaret tantum in Italia, adeoque locum non habere in partibus ultramontanis, & non obligare Fratres Conventuales Ord. S. Francisci, quoad Sorores, Clarissas nuncupatas, & alias S. Francisci Religiosas; D. Franciscus Guilielmus supplicat Eminentissimis Vestris, quatenus, ad omnem controverxiæ materiam tollendam, declarare dignentur, utrum dicta Constitutio obliget vel non in Germania, etiam Conventuales, quoad Clarissas, & alias S. Francisci Religiosas.

Die 27 Maii 1653, Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Trident. Interpretum, censuit, Constitutionem GREGORII XV, de Exemplorum privilegiis, locum habere in Germania, & ubique, tam respectu Ordinis S. Francisci, quam respectu quorumcunque aliorum Ordinum.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS
CARAFA, PRÆFECTVS.

Locus Sigilli.

Gratis, etiam quoad Scripturam.

DECRETUM XXIV.

COronam clericalem, quæ à paucis Sa- cerdotibus hodiecum gestatur, singuli, juxta diversitatem Ordinum, majorem & minorem portent; ita tamen, ut corona Sacerdotalis Dalerum ad minus in figura circulari adæquet.

DECRETUM XXV.

QVandoquidem plurimi in Diœcesi hac Nostra, impedimentorum Matrimonii, tum dirimentium tum impeditum, ignari, sèpissime sibi invicem matrimonium promittunt, ac postmodum, re non amplius integra, ad Nos aut Officiatos Nostros pro salutari dispensationis remedio recurunt: hinc omnes ac singuli Pastores, suos subditos, gradus consanguinitatis & affinitatis, intra quos contrahere licet, pro concione edoceant.

CETERUM, licet corpore absentes sumus, in spiritu tamen charitatis & Episcopalis sollicitudinis vobis præsentes, omnes vos hortamur, & in Domino nostro Iesu Christo rogamus, ut, quemadmodum accepistis nunc, & antehac à nostris Predecessoribus, in via Divinorum mandatorum ita strenue ambuletis, ut abundetis, & magis placeatis Deo, cuius est haec & Nostra voluntas; eritque sanctificatio vestra; ut, cum, Deo volente, ad vos in pace reversi fuerimus, minus inveniamus quod corrigerem, emendare, vel punire debeamus. Quod sincere facientes, Nobis magnam occasionem & causam lætandi, ac pro Nobis in Domino gloriandi, dabitis; ac simul propriæ animarum vestiarum saluti prudenter & fructuose consuletis. Ceterum benedictionem nostram Episcopalem vobis impertinentes, &c. Dabamus in Residentia nostra Ratisbonæ; ac, in omnium fidem, manu nostra hisce subscripsimus, & sigillo nostro ad id consueto communiri ea fecimus.

Locus Sigilli.

FRANCISCVS GUILIELMVS.

His peractis, palam prælectæ fuerunt literæ Pastorales sequentes, quas Illustissima Sua Celsitudo Ratisbonæ ad Clerum suum Osnabrugensem transmiserat.

LITE-